

Dissertatio medica inauguralis de febre flava / [Robert Finlayson].

Contributors

Finlayson, Robert.

Publication/Creation

Edinburgh : C. Stewart, 1818]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kagvvr dy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA 21

INAUGURALIS

DE FEBRE FLAVA.

AUCTORE ROBERTO FINLAYSON.

HISTORIA MORBI.

Post Signa quae febres invadentes plerumque praegrediuntur, omnia nempe debilitatis symptomata, ut leves frigoris sensus, vertiginem, deliquium animi, nauseam aequalem, anorexiam, horrorem, &c. nunc paulatim et lenius, nunc tamen subito et vehementius, Febris Flava adoritur. His signis haud paulo post accedunt, pulsus ingens articularum, calor magnus, urens, ventriculum imprimis infestans, ad gradum centesimum et amplius Fahrenheitiani saepissime ascendens: Arteriae Carotides et Temporales insigniter micant, dolore capitis, tempora veluti percutiente, paulatim augescente, vul-

A



tus et oculi lucis intolerantes, sanguine turgidi, et rubore suffusi, sensu ardoris, afficiuntur. De sensu angustiae et anxietatis circa praecordia aeger simul conqueritur, et surae, lumbi, totumque corpus, dolore molestissimo laborant; arteria ad carpum, plena, dura et valida est tactu, et interdum adeo est frequens, ut centies et trigesies, vel saepius, minuto horae, ut fertur, micet; nonnunquam tamen oppressa et abnormis observatur; cutis, fauces, et lingua aridae sunt, haec quoque pellicula alba tegitur, et aliquando flavescit. Spiritus eodem tempore difficillime trahitur et emittitur. Omnes fere secretiones et excretiones repressae sunt, sitis vehemens, vix potu explenda, aegrum perpetuo cruciat. Praeter haec quoque adsunt nausea et vomitus vehemens, qui saepe per totum morbi decursum infelicem adeo infestat, ut ventriculus ingesta extemplo rejicit.

Materia rejecta varias species exhibet: nunc tantum liquida, nunc fel ipsum purum sive flavum, sive viride evomitur. Alvus plerumque est astricta et medicamentis acerrimis vix et ne vix quidem solvitur.

Diarrhoea raro adest, urina est rubra et parcius solito redditur. Aeger qui saepe delirio laborat, in somnum tantum subrepat, et inquietudine continuo conflictatur. Sic per horas duodecim, octodecim, viginti quatuor vel triginta sex, symptomata supra memorata plerumque augescunt, cum mutatio subito oritur, et tanta remissio fit febris ut morbum fugatum esse, non solum aegri, sed etiam adstantes nonnunquam credere inducuntur. Huic remissioni tamen, imprimis si inter febris vehementis decursum, cerebrum aut ventriculus inflammatione correptus sit, qua facta, induciae breves erunt et valde imperfectae, parum fidendum est. Pulsus ad statum naturalem, hanc remissionem versus, haud raro manifeste revertitur; cutis frigida et humida fit; mens si modo antea commota et rerum imaginibus confusa, clara et distincta evadit. Aliquando tamen aegro stupor perstat, quod omen infaustum habetur. Quin et alterum signum infaustum adoritur, nimirum nisus ad vomitum perpetuus, imprimis ventriculo, vel cibo, vel potu sumpto, pressura illata, quippe

quod hoc organum insigniter laborare ostendit.

Post aliquod spatium temporis elapsum, periodo remittenti alius accedit, qui pro novo paroxysmo habeatur, si vires vitales antea fractae, et motu febrili, ut prius violente, cieri nequeant, pulsus languidus, mollis, et tardus est, et calor corporis, nunc vel praeter naturam imminutus, saepe observatur. Dolor vero et calor ventriculi et vomitus multo graviores fiunt. Inter evomendum, sanguis cum aliis rebus mixtus ore ejicitur, qui pro materia plane nigra cito mutatur. Oculi nunc flavescunt, facies, tempora, cervices, et tota superficies corporis eodem colore paulatim afficiuntur. Sudor glutinosus, et minime reficiens, cutem interdum obducit. Illos tamen, quorum ventriculus vel intestina inflammatione graviore implicita videntur, leviori delirio correptos esse, et satis compotes, ut adstantes agnoscerent, et responsa idonea ad quaestiones redderent, scire oportet: quamvis animus ex causa fere levissima aliquando deficiat, praecipue aegro in lecto assurgere conante, species comatis haud raro simul visa. Contra vero,

morbo in cerebrum acrius saeviente, nausea et vomitus niger saepe invadunt, singultus et suspiria aeger perpetuo edit, stragula jactat et ipse sensim ad imum lecti delabitur. Musculi aliquando tremoribus aut convulsionibus corripuntur, et subsultus tendinum adest. Maculae purpureae, lividae aut nigrae, plus minusve sub cute sparsae, prodeunt; lingua fit nigra, dentesque crusta crassa et fusca obducuntur; faeces et urina, aegro invito, elabuntur, foetidissimae et nigrae sunt, et cito in putredinem ruunt, vires languescunt, pulsus vacillat, et respiratio difficillima est. Corporis extrema frigida sunt, et die tertio vel quarto morbi, aeger serius ociosus morti succumbit.

Nonnunquam tamen ad initium, morbus lenior videtur; plurimis paroxysmis, primo brevioribus, denique violentis et diuturnis constat. Quod si saepissime intra diem septimum, decimum, vel decimum quintum morbi, accedit, de aegro actum est.

SECTIO CADAVERUM.

Ex plurimis sectionibus Cadaverum Febre Flava correptorum, a medicis diversis institutis, membranas cerebri illorum qui Capite maxime laborarunt, inflammatas, et vasa sanguinem vehentia in eas dispersa, sanguine turgida visa fuisse, certiores facti sumus; substantia cerebri durior, et praeter solitum firma conspecta fuit, serositas ad plures uncias in ventriculos laterales diffusa quoque saepe reperta fuit.

Pulmones inflammatione affecti, interdum nullis signis hujus affectus tamen antecedentibus, apparuerunt.

Morbo in ventriculum impetum vehementiorem faciente, membrana villosa hujus organi semper, et intestini tenuis frequentissime, inflammatione, erosione, et sphacelo correpta visa est, et fragmenta ejus in materie vomitus nigri involuta, nonnunquam observantur.

Lien, Pancreas, Renes, plerumque nihil morborum ostendunt. Vesica urinae contra, longe frequentissime adeo contracta fuit, ut plus quam uncias quatuor fluidi vix continere posset.

Hepar, integrum, sanum, pallidius tantum, nisi in tribus exemplis, quae ex genere chronico esse visa sunt, apparuit. Vesica felle sana, et bilis prorsus naturalis fuerunt, etiam ductus hepaticus, cysticus, et choledochus inspecti fuerunt, et ventriculus atrabili distentus simul observatus fuit.

DE RATIONE QUORUNDAM SYMPTOMATUM.

Vomitum Nigrum.—Inter medicos de origine, formatione, et natura hujus substantiae, usque ad tempus hodiernum, plurimae contentiones fuerunt; sed de his sigillatim dicere minime meum consilium est. Fortasse iste humor ater, qui per os redditur, in ventriculo et intestino tantum subest; et ductus choledochus, hepaticus, fistulae biliares, jecur, (quod interdum solummodo pal-

lidius fuit) vesica fellis, bilem integram et solitam continendo, sana simul reperta fuerunt. Pylorus interdum adeo fuit coarctatus, ut commercium cum duodeno fere prorsus interclusum sit, dum ventriculus ipse materie nigra gravaretur. Quin et, quoties membrana ventriculi vel intestini villosa laceretur, ora arteriarum illo humore nigro impleta, saepe visa sunt. Bilis porro, utcunque vitata, nunquam nigra fit; diluta vero, aliisque rebus commista, colorem flavum aut viridem, humori adeo confecto, vel vomitui nigro ipsi praebet. Bilis quoque maxime est amara, et ista materia atra gustui insulsa est. Fluidum nigrum, substantiam vomitus nigri multum referens, ad membranam internam ventriculi in partibus diversis adhaerens, apparuit; hoc sublato, partes subjacentes, et aliae, inflammatione minime affectae, prodierunt. Quod si hoc fluidum, isti parti ventriculi, unde prius detractum fuit, iterum applicetur, minime inhaerebit; et denique, nisi signa ventriculi inflammatione correpti praegressa sint, haec materia atra nulli vitio hepatis adest.

Hinc putatum est vomitum nigrum esse sanguinem purum ex vasis sanguiferis minutis, membrana villosa erosa et divulsa laceratis, vel relaxatione horum vasorum summa (ut Doctori Blane visum est) ut Melæna laborantibus (Culleno iudice) saepe foeminis gravidis et in stadium ultimum quarundam febrium proVectis, accidit, in cavitatem generalem ventriculi effusum, vel ad partem ejus internam in quam primo profusus fuit, adhaerentem, vel etiam intra fistulas ipsas arteriarum inclusum, coagulatum, postea hoc organo valide et frequenter inter vomendum contracto, ex partibus subjectis separatum, et contritum, et vel fluido ventriculi * aut solutione chemica, aut sponte facta, sive actione aëris, vel denique aliis rebus quae in illo organo continentur, formam magis minusve solidam, aliquando caefoae similem, et colorem nigerrimum induentem.

* Dr. Bancroft.

Cutis Flava. De modo quo flavedo, qua cutis per decursum hujus morbi aliquando tingeritur, inducitur, fel intra poros biliares, diaphragmate et musculis abdominis inter evomendum hepar magnopere undique prementibus, impeditum, et sic in intestina difficile profluens, in venas hepaticas refluere, et in totam massam sanguinis ingrediens, per totum corpus diffundi, inter plerosque medicos convenit *.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Hic morbus advenas, raro aut saltem lenius incolas, imprimis senes, mulieres, pueros, et infantes, vel coelo assuefactos, rarissime quoque nigros, quamvis multum commercium cum aegris habentes, praecipue adoritur. Temperamentum sanguineum, et habitus plenus corporis, ad hanc febrem summam proclivitatem praebent. Hinc nau-

* "Altera certissima anastomosis est ex ductibus Belariis in venam cavam, quam clarissimi ante me viri viderunt, et mea experimenta confirmant." *Haller Elem. Physiolog. Corporis Humani*, Tom. VI. p. 509. 4to.

tae, et alii ex coelis frigidis advenientes, imprimis florentes aetate, et calore ab gradu octogesimo quinto ad nonagesimum octavum in umbra ascendente, quum primum ad littora Indiae occidentalis perveniunt, ab hoc morbo procliviores sunt affici. Omnia quae corpus et imprimis ventriculum debilitant, ut intemperantia, exinanitiones immodicae, fatigatio, praecipue sub sole ardente, Venus immodica, nimium studium, animi pathemata deprimentia, transitio subita ex coelo frigido adfervidum, corpus ad rores nocturnos, morbo saeviente objectum, aliaque hujusmodi, inter causas praedisponentes recensenda sunt.

CAUSAE EXCITANTES.

UNDE Febris Flava, quae anno 1647 in quibusdam insulis Indiae occidentalis saeviit, in temporibus recentioribus per regiones Australes Europae saevissime nonnunquam grassata est, ortum suum habuerit, observatores hujus morbi nondum consentiunt.

Exhalationes noxiae ex rebus animalibus et plantis putridis omnium generum coacervatis et corruptis, sole ardente, per tempestatem aestivam vel autumnalem orientes, morbo de quo sermo est, originem praebere a quibusdam putantur: et fautores hujus opinionis hanc febrem minime contagio tribuendam esse, ex observationibus ut dicunt, accurate institutis, strenuissime affirmant.

Aliis contra febrem flavam, ac illas ex effluviis humanis, aut retentis, aut putridis factis in castris, valetudinariis, carceribus aliisque locis, hominibus confertis saepe orientes, gigni, et eodem modo per contagium longe lateque grassari, persuadetur. Praeter observationes illorum medicorum* qui in India occidentali septentrionali vitam degerunt, et ibi, hoc morbo lethali saeviente, felicissime artem suam exercuerunt, quae tali controversiae finem imponere satis valent, experimenta plurima in animalibus et hominibus instituta contagio valde repugnancia, oppugnatores hujus sententiae in suum

* Rush et Miller.

usum converterunt. Ab his experimentis vomitum nigrum, salivam et sudorem aegris febre flava laborantibus paulo antea rejecta, et partibus corporis sensilibus quorundam hominum admota, et effluvia ex materie atra recente emissa, vel arte excitata, in pulmones recepta, et sub forma liquida vel in pilulas confecta, animalibus et etiam hominibus magna copia exhibita, his partibus ipsis vel ventriculo aut animalium hominumve, minime nocuisse fertur. Cum illis qui de febre flava disseruerunt, Doctor Bancroft sibi habet persuasum, solam causam febris flavae esse miasmata paludum corpori humano admota, et morbum revera esse febrem remittentem ex talibus miasmatis inductam.

Ex observationibus repetitis illo iudice, miasmata paludum et aërem praeter solitum calefactum, febrem flavam epidemicam similem illi quae in America et parte Europae Australi tantas strages edidit, inducere constat. Sed febrem flavam de qua agitur, per contagium propagari, minime putat.

Quia omnes opiniones supra memoratas minime convenit separatim disquirere et re-

fellere, et quia una ex alia maxime pendet ; unum exemplum solum singulis consentiens, et utramque a veritate adhuc alienam esse ostendens, proferam : scilicet : Inter juvenes Lusitanos regionem benignam et temperatam Europae colentes, et, a novo mundo invento, quavis conditione vitae versatos, mos, ex quacunque causa ortus, ut patriae finibus relictis, ad oras Brasilienses omni tempestate anni migrent, usque ad hoc tempus invaluit ; in nonnullis saltem locis, exempli gratia, urbe dicta Rio de Janeiro, illorum primo adventu, imprimis per aestatem, calor vehemens, minime illi in insulis Indiae occidentalis Britannicis, aut America Septentrionali cedens, intenditur : huic accedunt coenum, paludes, sordes omni-gena, et omnia ad febrem flavam excitandam, convenienter opinionibus nuper adlatis, satis pollentia ; quae tamen in hac parte orbis terrarum, verisimile est, nunquam grassata est. Sed de hac re controversiam melius versati componant.

DIAGNOSIS.

Hic morbus, nisi tempestatibus, et regionibus radiis solis ardentissimis calefactis, qualis pestem statim tollerent, nunquam invadere dicitur. In Regionibus igitur quae torridae nuncupantur, febris flava proprie, pestis rarius, saevit. Hac laborantium carbunculi et bubones cutem saepissime, illa ut videretur, nunquam, inficiunt. Morbo proposito febris ardentissimae signa nunquam absunt. Pestis autem aliquando mortifera fuit, febrem per totum ejus decursum fere nunquam habens, quod idem de Scarlatina, Variola, et Rubeola dictum est *. Afri peste saepe, febris flava rarissime laborant, quod si in hanc incidunt, lenissime afficiuntur, nec saepe ea occupati morti occumbunt.

Typhus in tempestatibus et locis calidis rarius saevit, imo hieme saepius adoritur, quae febris flavae finem imponere consuevit. Haec Juvenes validos et aetate florentes,

* Vide *Dris. Anderson* Dissert. Inaug. Anno 1813.

illa debiles potius adoritur. [Ad haec febris flava citius desinit, haud raro formam Inter-mittentis induit, vel in febrem Intermittentem aut Remittentem veram transit, et signis plurimis, quae Typho sunt aliena, imprimis cute flava, vomitu nigro, signisque cerebri inflammati, et generis nervosi magnopere incitati ineuntibus, dignoscitur *.

Icterus in hoc, quod signa febrilia dummodo nullus alius adsit morbus, ei absunt, ab febre flava discernitur.

PROGNOSIS.

SUMMA debilitas, quam Syncope, conatu ad situm corporis erectum assumendum facto, praecipue indicat; juvenus et habitus corporis plenus; omnia munera corporis subito et insigniter oppressa; pulsus debilissimus et abnormis; suspirium; vomitus materiae nigrae molestus; tremores, convulsiones; subsultus tendinum, vultus tristissimus, verbis haud facile depingendus; pupil-

* Vide *Dr. Bancroft's Essay on the Yellow Fever.*

larum oculorum dilatatio, periculi imminētis signa sunt. Urina et faeces, aegro inconscio, emissae, nigrae et foetidissimae, spiritus olens, et petechiarum conspectus, mortem adesse plerumque denotant.

Contrà, signa fausta sunt motus ad vomitum cessans, dolor ingens capitis imminutus; eruptiones, perspiratio cutis profusa et reficiens; urina copiosa et ruberrima; fluxus bilis, et denique somni magnum desiderium; verum enimvero, haec febris interdum aspectum faustum aliquamdiu exhibet; et ex templo omnia pejora evadunt; aliquando imo, aegrum manifeste convalescentem, paucas post horas, mors invadit.

RATIO MEDENDI.

Haec febris in duo stadia, ut medicamenta, utrique melius convenientia, recte exhibeantur, et aegri auxilium idoneum et tempestivum accipiant, dividi potest.

Primo, sive febris stadio ardente, cum calor vehemens, pulsus plenus, frequens et durus, vultus rubor, intolerantia lucis et soni,

impetum sanguinis auctum caput versus ostendens, delirium aut coma brevi occurrentia, adsunt, regimine antiphlogistico sedulo adhibito, ad aquae frigidae effusionem*, sanguinis missionem, purgantia, aut hydrargyrum pro re nata, ita ut effectus suos intra horas viginti quatuor, vel ad summum triginta, manifeste exhibeant, confugiendum est.

Aquae frigidae et tepidae affusio. Si aeger praeter naturam calidus fit, et sensus sudationis vel algoris prorsus deficit, si nulla sint signa Catarrhi, et denique si nulla ex tribus magnis cavitatibus corporis inflammatione correpta sit, aquae frigidae affusio vel immersio valde proderit, et quo citius adhibita, eo validius pollet. Si cutis et lingua calidae vel aridae sunt, et sitis et inquietudo simul urgent, affusio frigida admota, celeritatem morbidam arteriarum minuit, cutem laxat, sensum sitis injucundum et nauseam levat, somnum inducit, aegro saepissime praebet sensum gratissimum, et febrem haud raro ex toto tollit.

* Vide Currie's Medical Reports.

Si horrores vel catarrhum affusio frigida excitat, si morbus diutius perstat, affusio aquae tepidae purae, vel cum aceto mixtae, ex gradu octogesimo septimo ad nonagesimum septimum thermometri Fahrenheitiani calefactae, aut spongiae madidae corpori, quamvis hae non aequè prosunt, admovendae sunt.

Sanguinis Missio. Si symptomata supra dicta urgeant, si aeger aetate sit florente et plethoricus, imprimis Europaeus, et nuper ad Indiam occidentalem appulsus, intra horas viginti quatuor post primam accessionem febris, sanguinis uncias viginti, aut, febre graviore, triginta detrahare oportebit. Ad hoc remedium tamen, pro viribus et aetate, signis mitioribus aut gravioribus, aliisque hujusmodi confugiendum est. Cum sanguinis missio generalis nocere videatur, vel haec minus sit necessaria, tum vel omnino omittenda est, vel cucurbitulae aut hirudines ad partes affectas cum fructu admoveantur.

Purgantia. Ut Diathesin phlogisticam, irritationem cerebri, et calorem circa ventriculum levemus, et denique ut sanguinem ex partibus superioribus et internis ad inferiores et externas derivemus, illa remedia ut-

pote maxime valentia, quae dum alvum fortiter cient, ventriculum mole sua non laedunt, exhibere nostrum est. Hoc consilio submuriatem hydrargyri in dose granorum quinque, cum decem aut viginti convolvuli scammoniae, gummi resinae, aut convolvuli jalapae radice conjunctum, summo cum comodo exhibeamus.

Hydrargyrus. An Hydrargyrus in curatione febris flavae debet exhiberi necne, inter auctores medicos minime convenit. Sunt qui de re medica bene meriti sunt, commoda ab illo praebita, si salivam tantum induceret, summis laudibus efferunt, eidemque veluti remedio praestantissimo curationes plurimas attribuunt. Alii contra, haud mediocres viri, eum nisi pro cathartico *, nihil prodesse, contendunt.

In sententiam priorem, post utramque opinionem perpensam, magis inire inducor; et revera, si observationibus in nosocomiis

* Vide *Dr. Currie* de Philadelphia in "the Medical and Physical Journal."

R_x. Sub-Mur. Hydr. gr. 11. iv.

Opii - - gr. ss.

Conf. Rosæ q. s. ———— Misce. ft. pilula pro dos. 4ta. hora repetenda.

diversis militaribus et navalibus, atque aliter factis, liceat fidere, longe plures aegri, hydrargyro, morbo ineunte, sumpto, adeo ut intra horas viginti quatuor salivae fluxus induceretur, quam sanguinis missione, aliove altero medicamento, ad sanitatem restituti sunt.

Emetica et Sudorifica. Illa, quia nauseam et vomitum, qui per hanc febrem nonnunquam perpetuo vexant, intendunt, et pertinaces efficiunt, et sic gastritidi originem praebeant, omniaque signa hujus morbi graviora reddant; quin et remedia sudantia, imprimis, quibus, magna vis calefaciendi inest, ut pulverem Jacobi, aliaque, medici hodierni plerique rejiciunt. Si aegrum contra, nausea et vomitus perpetuo infestent, emplastrum amplum regioni epigastricae, et sinapismata plantis pedum quam primum applicata, haustus effervescentes, mistura salina, potus aciduli, aqua frigida, et quaedam alia refrigerantia, parvis vel magnis dosibus, quas ventriculus non respuat, ad vomitum sistendum exhibita, magnopere prosunt.

Sed si his medicamentis vomitus non ce-

dit, opium * primo in dose grani dimidii quaque semihora, deinde ad grana duo, prima vel secunda quaque hora in ventriculum receptum, vel sub forma enematis simul cum remediis mucilaginosi et emollientibus, caute usurpandum est. Eodem tempore motus peristalticus languidus, ope submuriatis hydragryri per se, vel cum jalapa commixti, promoveri debet, aegrum nec cibum neque potum quemlibet, sed fructus acidos maturos, consilio linguam et fauces tantum humectandi, sumere oportet.

STADIUM SECUNDUM.

Cum ad hoc stadium perventum sit, quo summa est debilitas, ubique conspecta, pulsus languidus, quam antea lentior et exilior, &c. signis gravibus motus febrilis jam sedatis, aut omnino cessantibus, nunquam antea, Cinchona officinalis sub forma substantiae aut decocti, ut ventriculo melius conveniat, Quassiae infusum frigidum per se, infusum

corticis Cuspariae, cum tinctura Cinchonae et Colombae conjunctum, vinum Lusitanicum, vel Madeirense purum, vel cum aqua et saccharo mixtum, et alia hujusmodi, ad initium parva copia sumpta, paulatim augenda, ad vires reficiendas et recidivam praecavendam, cum summo fructu exhiberi possunt.

Si exanthemata livida sub cute vel lingua, et quaecunque signa proclivitatis corporis ad putredinem visa sunt, acida, vel fossilia vel vegetabilia bene diluta, et copia idonea sumpta, plurimum adjuvabunt.

Aegrum nunc convalescentem ab intemperantia cavere oportet. Victus tenuis, levissimus et parcus, et facilis concoctu, ut sagum, panada, jusculum pullorum et alia hujusmodi, exhibendus est. Potus frigidus, vel ex aqua cum hordeo et oryza decocta, vel ex pulmento vel pane tosto cum aqua confectus, usurpandus est.

Gestatio, imprimis mane, vel equo, vel aliquo vehiculo, mutatio coeli, et navigatio, ad sanitatem recuperandam summis viribus polent.

Totum corpus aegri cum primum medicus arcessitus sit, aqua tepida cum sapone, lavandum est.

Per totum decursum morbi, aeger in conclavi amplo et mundo, januis et fenestris apertis, et velis ductilibus submotis, ut aura cubiculum intret, cubari debet. Indusium, lecti stragula, quam levissime apponenda sunt, et omnia vestimenta quibus aegro opus sit, quotidie mutari, et in aquam frigidam immitti, et dein tolli, opus erit. Lectus et quaecunque cubiculo necessaria sunt, ablui debent; parietes ejus calce cum aqua lavandi sunt, viva calce ipsa in cubiculo macerata, simul cum fumigationibus acidi Nitrosi, muriatici vel sulphurosi.

FINIS,